

Ob 12

1877₂



INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBURGENSESI

PER HIEMEM

A DIE XV OCTOBRIS ANNI MDCCCLXXVII

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT LIC. JULII MARQUARDT COMMENTATIO QUID DE BAPTISMI, S. CHRISMATIS,
SS. EUCHARISTIAE SACRAMENTIS S. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS DOCUERIT.
PARTICULA I.

BRUNSBURGAE, 1877.

TYPIS HEYNEANIS.



INDEX LECTIUM

II

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

PER HIER

1777-1778

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. FRANC. DITTRICH,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.



1943:202

BRUNSBERG 1877

THE DITTRICH

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Si quis viam ac rationem, quam ecclesia Christi ab antiquissimis inde temporibus ad saluberrimos redemptionis fructus hominibus impertiendos iniiit, in monumentis annalibusque historiae indagaverit, is non poterit non laeto animo videre, in eo maximam semper illius sollicitudinem ac diligentiam positam fuisse, ut qui adulta jam aetate religionis salutisque christianae per baptismum participes fieri studebant, nisi rite probati et dispositi ad hoc sacramentum non accederent. Unde jam antiquitus non solum ii, qui vitae genus agebant, quod a christiana fidei morumque simplicitate et integritate nimis erat aliena, a baptismo arcebantur, in quo numero erant lenones, meretrices, idolorum artifices, scenici, augures, gladiatores, caupones, incantatores, alii (Constit. Apost. lib. VIII. cap. 23), sed ii quoque, quibus aditus ad hoc sacramentum patebat, non ante admittebantur, quam ecclesia tum sinceram eorum voluntatem vitaeque rationem novisset tum assidua eos religionis christianae institutione formasset sanctaque disciplina praeparasset, secundum notissimum illud quod Christus Dominus apostolis eorumque successoribus dedit mandatum: Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris etc. (Matth. 18, 18. Marc. 16, 15—16)¹⁾.

Qua in re cur talem curam et consuetudinem ecclesia adhibuerit, non est quod pluribus exponam. Baptismus enim sicut et reliqua sacramenta christiana quamvis gratiam peculiarem non ex honestate et justitia hauriat eorum, qui illum recipiunt seu administrant, sed ex meritis redemptionis et virtute a Christo ipsi indita, si quis tamen ex adultis hoc mysterio initiandus est, is fide divina et digno animi habitu ornatus sit oportet, ut quae in ecclesia deposita sunt salutis instrumenta ac remedia recte cognoscat, desideret, recipiat. Quapropter ecclesia mater eum semper in conferendo baptismo morem servavit, qui naturae hujus sacramenti optime conveniret, ita quidem, ut infantem natum, nec ratione utentem nec libero arbitrio, ex genitricis fidelis sinu Christo sponso coelesti regenerandum divinisque thesauris ultro locupletandum suscipiat, adultum vero hominem, qui jam rationis consillique

¹⁾ Cf. Reischl, S. Patris Nostri Cyrilli Hieros. Archiepp. opera quae supersunt omnia. Vol. I. Monaci MDCCCXLVIII. Proleg. p. CXXIII sqq.

compos ad regnum Dei vocetur, antequam per baptismi sacramentum re vera vivum membrum corporis Christi mystici reddi possit, salutari doctrina et educatione instituat animumque ejus idoneum efficiat, qui divina Spiritus sancti gratia excitatus atque adjutus et ipse suo se consensu a vita adhuc in tenebris et peccatis acta avertat totaque mente et cogitatione salutem in Christo cupiat et consequatur.

Quo more atque instituto qui ad baptismatis sacramentum legitime et digne suscipiendum prae-
parantur, ab omni inde antiquitate in ecclesia christiana catechumeni dicti sunt, quia velut tiro-
nes religionis christianae elementis imbuuntur, quae antea ignorabant²⁾. Hujus autem tirocinii non idem
ubique tempus fuit neque eadem conditio. Ac primis quidem ecclesiae Christi initiis quum vigerent
maxime mirabilia illa quae dicuntur charismatum dona et ardentissimo salutis studio credentes fervent,
baptismus quoque, nulla mora interposita, dari solitus (Act. II—III). Sed postero tempore in locum
miraculorum succedentibus firmis sanctae disciplinae fundamentis et crescente cum catechumenorum
multitudine simul et metu cautioneque ecclesiae, ne quis hujus vitae potius quam aeternae illius salutem in
religione christiana quaereret, praesertim quum imperatorum gratia et auctoritate res christianorum
quam maxime florere coepissent, jam lege et consuetudine sancitum est, ut per certum temporis (duorum
plerumque vel trium annorum) spatium tentati et spectati essent catechumeni, priusquam ad arcana
christiana admitterentur³⁾. Qualis autem eorum in catechumenatu conditio quique fuerint gradus,
manifestissime ex Origenis libro contra Celsum (3, 51) scripto pernosci posse existimo, unde colligere
licet haec.

Primum instituto de animi voluntate examine adhibitoque exorcismo, catechumenorum duplex vel triplex
erat ordo, unus eorum, qui modo incipiebant (*τῶν ἄρτι ἀρχομένων*), qui referebantur (*τῶν εἰσαγομένων*),
qui nondum signum purgationis acceperant (*τῶν οὐδέπω τὸ σύμβολον τοῦ ἀποκεκαθάραται ἀνεληφότων*);
alter eorum, qui quantum in iis erat, eam praestiterant voluntatem, ut nihil aliud vellent quam quod
christianorum ferrent placita (*ἕτερον δὲ τὸ τῶν κατὰ τὸ δυνατὸν παραστησάντων ἑαυτῶν τὴν προαίρεσιν,*
οὐκ ἄλλο τι βούλεσθαι ἢ τὰ χριστιανοῖς δοκοῦντα). Atque prior quidem ordo, qui dicebatur *τῶν*
ἀτελειτέρων, quum complecteretur omnes tribus illis nominibus insignitos, videntur tamen ii ipsi suo
quique loco distincti fuisse ac discreti. Quamquam equidem facile adducor ut illam differentiam credam
ad diversum, quo haberentur in sacra synaxi, locum pertinuisse maximeque fuisse liturgicam; id quod
confirmari mihi videtur communi illo quo in utraque ecclesia comprehendi solebant nomine audientium
(*τῶν ἀκροουμένων*), quod ductum est a divinae scripturae lectione et expositionibus homileticis, quibus
auditis jussi sunt discedere. Alterius vero, qui appellabatur *τῶν τελειοτέρων*, ordinis proximus gradus,
eorum, qui iidem genuflectentes (*γόνυ κλίνοντες*) vel prostrati vocabantur, eo maxime differebat
a ceteris, quod accepta ab episcopo manus impositione cum solemnī precatione more litaniarum, sacro
crucis signaculo munitus erat. Ad purgationis autem symbolum, quod est apud Origenem, conferendus
est locus s. Augustini (de remiss. peccat. 2, 26), qui: „non unius modi“, inquit, „est sanctificatio; nam et
catechumenos secundum quendam modum suum per signum crucis et orationem manus impositionis
puto sanctificari“. Interiora vero religionis christianae dogmata iis nondum aperiebantur, sed solum
mythologiae et philosophiae gentilis vanitas atque absurditas, evangelicae autem de fide moribusque
doctrinae sanitas et praestantia una cum primis de unitate Dei, de novissimo judicio, de resurrectione

²⁾ Verbum *κατηχεῖν*, a quo catechumeni nomen invenerunt, in novo testamento quatuor locis (Luc. 1, 4, Act. 18, 25, I. Cor. 14, 19, Gal. 6, 6) idem fere valet ac christiana vel quae est de Christo instituere doctrina; quinto loco (Rom. 2, 18) idem simili ratione ad doctrinam mosaicam accommodatum est; sexto denique ex Judaeis quidam *κατηχηθῆναι* dicuntur de s. Pauli ad res judaicas ratione (Act. 21, 21). Accurate hujus vocis significationem perscrutati sunt Zezschwitz, der Katechumenat, p. 22 sqq. et Joh. Mayer, Gesch. des Katechumenats etc. p. 1, sqq.

³⁾ Cf. Constit. Apost. VIII. 32. Conc. Nic. can. 14. Conc. Agath. can. 34. Reischl. l. c. CXXXVII. p. 107.

dogmatibus et sacra utriusque testamenti historia probabatur; et maxime quidem Cyrillus cavet, quae in catechesibus fuerint audita, ne coram illis divulgentur, summâque religione symbolum fidei jubet iisdem occultari (procat. 12. cat. 5, 12. cat. 6, 29). Quid quod inter audientes et genuflectentes, quos ab illuminandis, de quibus statim dicemus, discernat, ipse nusquam distinguit, sed communi catechumenorum nomine utrumque ordinem complectitur (procat. 1. 4. 6. cat. 1, 4. cat. 5, 1. cat. 18, 35). Neque episcopi tantum et presbyteri eorum institutioni vacabant, sed singulorum vires propter multitudinem catechumenorum quum saepissime non sufficerent, adscisciebantur quoque ad illud munus, qui e fidelium numero viderentur eruditione ingenii morumque integritate idonei atque digni; ipsisque illuminandis Cyrillus permisit, ut inferiorum graduum catechumenos iis quae diximus fidei rudimentis pro viribus imbuerent (cat. 15, 18, 26).

Tertius idemque summus catechumenorum ordo — vel si duos tantum statueris, τῶν τελειωτέρων gradus insignior — erat eorum, qui dicebantur apud occidentales competentes sive electi, φωτιζόμενοι (illuminandi) apud orientales (procat. 1. 2. cat. 15, 21. cat. 18, 32), h. e. ii, qui quum jam nomina dedissent in diptycha inscribenda (procat. 1. 4. 13. cat. 3, 2.), pleniorum fidei christianae institutionem diligentemque ad baptismum praeparationem ab episcopo vel presbytero accipiebant, hoc sacramentum jamjam recepturi. Atque his quidem Cyrillus, quum presbyter esset circiter triginta duorum annorum, in catechesibus suis celeberrimis symbolum fidei christianae tradidit et declaravit, quod iidem ipsi deinde sollicite custodirent et proxime ante baptismum adhibitis scrutiniis (ἐξετάσεις) redderent (cat. 5, 1.). Quam doctrinam brevis orationis dominicae interpretatio sequebatur, quam cognoscere debebant catechumeni, antequam eam post baptismum susceptum una cum fidelibus orarent⁴). Ea tamen, quae proprie dicuntur mysteria (sacramenta), brevibus tantum iis exponebantur, de quibus quum fidem suam ante ipsum baptismum firme essent professi, postea initiati luculenta rursus et uberiori institutione edocerentur. Maxima autem inter hanc religionis christianae institutionem eorum vitae morumque habebatur ratio et cura, ut, suffragiis episcopi et fidelium adjuti, et ipsi abstinentes ac jejunantes animos et corpora ad mysterium suscipiendum digne praepararent (procat. 3. 5. 16.) et poenitentia pietateque quam maxima tanti sacramenti gratiam peterent atque acciperent (cat. 1, 2. 5.).

Duplex igitur catechesium a Cyrillo habitatum distinguitur genus, unum earum, quae inscribuntur κατηχήσεις τῶν φωτιζομένων, quae quum sint duodeviginti praeter eam, quae in modum praefationis antecedit, procatechesim, institutionibus de poenitentia, de baptismo, de fide per priores tres praemissis et proposita in catechesi quarta summa doctrinae christianae praeclarissima, reliquae usque ad duodevigesimam decurrentem per singulos articulos symbolum fidei praebent expositionem⁵). Alterum genus est earum, quae inscribuntur κατηχήσεις μυσταγωγικαί, vel ut est in aliis libris, λόγοι πρὸς τοὺς νεοφωτιστούς, quibus orationibus agitur de illis, quae baptizatis demum declarare fas erat, mysteriis baptismi (I—II), sacri chrismatis (III), ss. eucharistiae (IV—V). Dictae sunt illae πρὸς τοὺς φωτιζομένους per decursum temporis quadragesimalis exceptis dominicis et sabbatis in ipsa Resurrectionis ecclesia, hae πρὸς τοὺς νεοφωτιστούς post sacramenta illa sabbato sancto suscepta inde a feria secunda hebdomadis paschalis quinque continuis diebus ad monumentum Domini in ipso s. sepulcri sacello, quod dicebatur Anastasis (cat. 18, 33. cat. 20, 4. 7.) circiter a. 347.

Ex hoc igitur venerabili antiquitatis christianae monumento, quod jam aliquamdiu peculiari quodam studio atque amore amplexus sum, oblata hac scribendi opportunitate temperare mihi non

⁴) Accuratus Cyrillus hanc orationem initiatis demum exposuit in pulcherrima illa de liturgia cat. 23 (11—18).

⁵) Symbolum ecclesiae Hierosolymitanae vid. apud Touttaeum, S. P. N. Cyrilli opera etc., in appendice catechesi quintae addita (Editio Maur. in Patrologiae Cursum Completum a Migne curatum integra recepta).

potui, quin hujus commentationis repeterem argumentum. Quae vero in catechesibus continentur memoratu digna, quum me vetarent fines huic scriptioni constituti exponere omnia, neque e re esse videretur repeterere, quae summi viri iidemque doctissimi⁶⁾ de catechesibus et catechumenatu in universum deque hujus et sacramentorum ritibus, caeremoniis, aliis similibus, jam disseruerunt et cum pulvisculo, ut aiunt, excusserunt, equidem lecturis hanc commentationem haud ingratum fore confido, quod dogmaticam potissimum s. Cyrilli de sacramentis baptismi, sacri chrismatis, ss. eucharistiae doctrinam satis habui accuratius hic tractare.

Caput primum.

De s. baptismo.

1. Primum, quod catechumenis ecclesiae januam aditumque ad mysteria cetera suscipienda aperuit, sacramentum est baptismus (procat. 17). Qui a Cyrillo vel proprio et vulgari nomine, quod a veteri baptizandi ritu (sc. immersione) invenit, βαπτισμός, βάπτισμα, βάπτισις notatur, vel aliis vocabulis nominatur, quae modo externum signum atque actum modo effectus baptismi aliud alio magis indicant et significant. Ejusmodi appellationes in catechesibus nostris imprimis reperiuntur haec: λούτρον, λούτρον τῆς ἀναγεννήσεως, λούτρον τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι Θεοῦ (procat. 2 et passim. cat. 1, 2 sq. cat. 3, 5), σωτήριον ὕδωρ (cat. 19, 3), σωτήρια νάματα, σφραγίς, σφρ. μυστική, σφρ. πνευματική, σφρ. σωτηριώδης, νοητός παράδεισος, νύμφων (sponsi thalamus), μύησις (sigillum sc. fidei sive Domini) (cat. 1, 3. cat. 3, 2. cat. 17, 35). Denique a Cyrillo ut ab aliis patribus Graecis baptismus etiam φωτισμός, φωτίσμα, φῶς vocatur (procat. 2. cat. 11, 19. cat. 13, 21. cat. 18, 32), quae significatio quum ad eam quam catechumeni accipiebant de fide moribusque doctrinam et institutionem tum ad propriam ac peculiarem baptismi gratiam spectat⁷⁾, qui quum hominem gratia sanctificante ac potissimum lumine fidei impleat fideliumque inserat societati, merito appellatur sacramentum fidei. Nonne jam haec quae ex catechesibus attulimus nomina perspicis, quam vere expriment baptismi naturam, indolem, effectus?⁸⁾ Cujus gratias mox infra viderimus; nunc de signo externo et institutione quid catecheta sentiat, dicamus.

2. Elementum igitur sive materia (proxima), ut hoc verbo utar inde a saeculo decimo tertio inter omnes recepto, ad conficiendum baptismum nunquam non in ecclesia aqua adhibita est secundum ipsam Christi quam sacra scriptura testatur institutionem (cat. 3, 4). Quam revera maxime accommodatam idoneamque esse ad baptismi gratiam exhibendam, facile aliquis, ut ait Cyrillus, libros divinos

⁶⁾ Cf. Toutt. l. c. proleg. diss. II. Reischl. l. c. proleg. II. Zezschwitz, der Katechumenat, Leipz. 1863. Höfling, das Sakrament der Taufe etc. Caspari, ungedruckte, unbeachtete etc. Quellen zur Geschichte des Taufsymbols, Christiania 1866. Rothe, de disciplinae arcanae origine. Harnack, der christl. Gemeindegottesdienst im apost. und altkath. Zeitalter. Kliefoth, Liturg. Abhandlungen. J. Mayer, Geschichte des Katechumenats und der Katechese etc. Gekr. Preisschr., Kempten 1868. A. Weiss, die altkirchl. Pädagogik etc. Gekr. Preisschr., Freiburg i. Br. 1869.

⁷⁾ Cf. Mayer l. c., p. 75 sq.

⁸⁾ Merito Oswald, die dogmat. Lehre von den hh. Sakramenten der kath. Kirche, 4. verb. Aufl., p. 135: „Die Nomenclatur der Sakramente“, inquit, „ist immer sehr lehrreich, oft könnte aus ihr allein ein kurzer Inbegriff der gesammten Lehre genommen werden“.

revolvens invenerit. „Aquam enim praeclarissimum esse⁹⁾ ex elementis mundi conspicuis; antequam ceterae res formatae sint, Spiritum s. jam super aquas latum esse; principium mundi aquam esse, principium evangeliorum Jordanem. Per aquam maris populum Israeliticum e manu Pharaonis in libertatem restitutum esse, et servitute peccati mundum per lavacrum aquae in verbo Dei eximi. Ubiunque foedus cum aliquibus, ibi et aquam (velut foedus cum Noë sancitum post dilavium, foedus cum Israel ex Sinai monte initum esse, sed per aquam et lanam coccineam et hyssopum). Summum sacerdotem, priusquam sacra faciat, abluī; Aaronem lotum esse, antequam summus sacerdos effectus sit (cat. 3, 5). Aqua ex latere Christi profluente aquam baptismi indicatam esse, sanguine vero eam quam sancti martyres persecutionum temporibus per proprium sanguinem consequantur salutem“ (cat. 3, 10, cat. 13, 21)¹⁰⁾. — Atque hinc quidem et ex multis quae commemoravimus baptismi nominibus et procurata hujus sacramenti in aedibus, quae dicuntur baptisteria vel vestibula¹¹⁾, administratione jam colligere licet, externum signum sive ritum (materiam proximam) baptismi fuisse immersionem, quamquam vel apud ipsos Graecos varios fuisse ritus et praeter immersionem etiam infusionem et aspersionem (et urgente necessitate omnem veram ablutionem) ratas adhibitasque esse, ii qui sunt de ritibus eorum libri ostendunt¹²⁾. Sed ut immersioni, qua quidem consueverunt in veteri ecclesia per duodecim fere saecula uti, insistamus, Cyrillus ejus ritum auctore s. Paulo apostolo (Rom. 4, 25; 6, 3 sqq. Col. 2, 12) Christi morti (sepulturae) et resurrectioni vel potius, quia ter solebat repeti, triduo illi confert, per quod corpus Christi mortuum conditumque in sepulero jacebat, unde splendidius resurgeret. Quid sibi velit haec comparatio, haud facile quisquam Cyrillo verius et pulchrius descriperit; quare non praetermitto, quin hujus verba integra adjiciam. „Qui mortuus“, inquit, „in peccatis descendisti (sc. in aquam baptismalem), ascendis vivificatus in justitia. Si enim complantatus fueris similitudini mortis Salvatoris (sc. immersioni), simul et resurrectione dignus habebis. Quemadmodum enim Jesus totius mundi peccata in se suscipiens mortuus est, ut interempto peccato resurgeret in justitia, ita et tu descendens in aquam et in aquis quodammodo sepultus, ut ille in petra fuit, in novitate vitae ambulans resuscitaris“ (cat. 3, 12). Et alibi: „Demersi estis in aquam rursusque emersistis, hic quoque in imagine significantes triduanam Christi sepulturam. Sicut enim Salvator noster tres dies et tres noctes in ventre terrae egit, sic et vos in prima emersione primam quam in terra Christus peregit diem et in immersione noctem imitati estis. Nam velut qui in nocte degit, non amplius videt, qui vero in die, in lumine versatur, sic et in immersione tamquam in nocte nihil vidistis, in emersione vero tamquam in die positi fuistis, eodemque momento et mortui et nati estis, illaque unda salutaris quum sepulcrum vobis tum mater effecta est. Et quod de aliis rebus Salomon dixit, vobis optime conveniat. Dixit autem ille: tempus pariendi et tempus moriendi (Eccle. 3, 2); at vobis e contrario: tempus moriendi et tempus nascendi. Unum tempus haec utraque effecit et cum morte nativitas vestra concurrat“ (cat. 20, 4). Ceterum mos ab antiquis ad nostram aetatem traditus in Hierosolymitana quoque ecclesia habebatur, ut ad solemnem baptismum aqua non uterentur nisi proprie benedicta cultuique divino

⁹⁾ Cf. Pindari illud notissimum: Ἄριστον μὲν ὕδωρ.

¹⁰⁾ Similiter s. Augustinus baptismum primis verbis sacrae scripturae (de divers. quaest. ad Simpl. II, 5) et mari rubro, quod Hebraei integri transibant (in Joann. tract. 45, 9. Sermo 353, 2), et aqua ex latere Christi profluente (in Joann. tract. 120) significatum esse dicit. Sanguinem autem e latere Christi emissum cum plerisque patribus symbolum s. eucharistiae intelligi vult.

¹¹⁾ Baptisterii Hierosolymitani aedes erat exterior, in qua abrenuntiationes et fidei professio fiebant (cf. cat. 19) et interior, ubi proprius baptismus administrabatur (cat. 20, 2). Illam Cyrillus vocat προάυλιον τῶν βασιλέων (procat. 1.) sive τὸν προάυλιον τοῦ βαπτιστηρίου οἴκον (cat. 19, 2) sive ἐξώτερον οἴκον (cat. 19, 11), hanc ἄγια τῶν ἁγίων (l. c.).

¹²⁾ Cf. Denzinger, ritus orientalium I, 17.

sacrata. „Cave, ne tamquam nudaе aquae attendas huic lavacro, sed gratiae spirituali, quae una cum aqua datur. Nam ut illa, quae in aris (sc. gentilium) offeruntur, quum natura sua sint nuda et simplicia, contaminata efficiuntur idolorum invocatione, sic contra aqua simplex, Spiritus sancti et Christi et Patris invocationem accipiens, vim sanctitatis acquirit“ (cat. 3, 3). Quae leviter quidem oculis percurrens non de illa sanctissimae Trinitatis invocatione, quam ecclesia ad praeviam quam dicimus benedictionem fontis adhibet, sed de ipsius baptismi, quae distincta trium Divinitatis personarum invocatione continetur, necessaria forma intellexeris, praesertim quum servata jam pridem ecclesiae consuetudine consecratio fontis religiosa quidem et sancta, non autem sicut formula illa baptismi necessaria a patribus haberetur caeremonia, qua neglecta baptismus vel subita necessitate administratus inanis foret atque irritus. Sed ut nihilominus solemnem fontis benedictionem hic respici credam, multa animum inclinant. Primum enim illud discrimen, quod auctor facit inter invocationem daemonum res eisdem oblatas polluentem et invocationem Trinitatis elementum baptismi sanctificantem, propriam caeremoniam significare videtur, qua res profana apud christianos tam sancta redditur, quam contaminata apud gentiles. Quis est autem, quin videat, invocationem in ipso baptismo adhibitam, quamvis elementum aquae ad dignitatem sacramenti perducat, tamen minus ad aquam, qua baptizatur, quam ad hominem, qui baptizatur, referri? Deinde hic locus duobus aliis simillimus est, ubi catecheta iisdem fere verbis de oleo baptismali et sacro chrismate invocatione Dei exorcizato et sanctificato disputans sine ulla dubitatione utriusque rei consecrationem describit¹³⁾. Accedit plurimorum patrum opinio, quorum nonnulli (Cyprianus, Ambrosius, Gregorius Nyssenus, Basilius) benedictionem fontis tanti habuerunt, ut ea praetermissa aquam baptismalem omni fere sanctificandi vi carere videantur existimare.

De forma quae dicitur sacramentorum i. e. de verbis, quae materiam (remotam et proximam) per se inanem informemque perficiunt et determinant, unde propria demum vis sacramentalis proficiscitur, quum vigeret illa aetate maxime arcana ut dicunt disciplina, veteres ecclesiae patres omni qua par erat religione praecaverunt reconditora ne incaute aperirent. Non est igitur mirandum, quod etiam Cyrillus, cetera quidem ad externum signum baptismi pertinentia copiose ornatique exponens, formae tamen nisi oblata occasione mentionem vix fecit. Sed haec ipsa, quae quasi praeteriens dixit brevissime, satis comprobant, formam baptismi ex Cyrilli sententia, qua quidem omnes fuisse semper scimus, contineri distincta trium Divinitatis personarum invocatione ad actum baptismalem relata. „Spiritus sanctus tempore sancti baptismi in ss. Trinitate comprehenditur; unigenitus enim Dei Filius diserte apostolis dixit: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris et Filii et Spiritus sancti“ (cat. 16, 4). „Merito baptizamur in Patrem et Filium et Spiritum sanctum“ (cat. 16, 9).

Neque fusius accuratiusque de institutione hujus sacramenti disputat. Certum quidem exploratumque ei est, quod nemo unquam dubitavit, non alium baptismi auctorem esse nisi „Jesum Christum Dominum, qui hujus rei potestatem habet“ (cat. 3, 4); id quod inter omnes adeo constans confessumque habere videtur, ut omni disputatione se supersedere posse putans ne ea quidem quae scriptura sacra praebet argumenta, mandatum dico notissimum a Domino apostolis datum (Matth. 28, 19) et colloquium illud celeberrimum cum Nicodemo habitum (Joh. 3, 3 sqq.), magnopere premat, sed in transitu tantum attingat (cat. 3, 4. cat. 16, 4). Multo minus de occasione, tempore, loco, quibus Christus Dominus

¹³⁾ Cat. 20, 3: „Quemadmodum enim insufflationes sanctorum et invocatio nominis Dei flammae instar vehementissimae daemones urit et fugat, ita etiam exorcizatum illud oleum per invocationem Dei et orationem tantam vim accipit, ut non modo urendo peccatorum vestigia purget, verum etiam omnes invisibiles spiritus mali potestates in fugam agat“. Et de sacro chrismate disputans cat. 21, 3: „Sanctum illud unguentum (*μύρον*) non nudum“, inquit, „neque, si quis ita appellare malit, commune unguentum est post invocationem, sed Christi charisma et Spiritus sancti, per divini ejusdem numinis praesentiam efficiens factum“.

hoc sacramentum proprie instituerit, certi quidquam docet, nisi quod jam apud vetustissimos ecclesiae patres legimus, Jesum Christum in Jordane fluvio, antequam munus suum publicum adierit, ablutum (cat. 3, 14) „fragrantiam Divinitatis suae cum aquis communicasse (cat. 21, 1) baptismumque sanctificasse; descendisse enim in Jordanem, non ut peccatorum suorum remissionem acciperet, quoniam expers fuerit omnis peccati, sed ut baptizandis gratiam divinam et dignitatem impertiret . . . ut corporalis ejus praesentiae participes facti etiam divinae ejus gratiae participes essemus ejusdemque rei communicatione una cum salute et dignitatem consequeremur“ (cat. 3, 11. cat. 12, 15). Hac similibusque veterum patrum¹⁴⁾ opinionibus ducti, non defuerunt qui sacramentum nostrum christianum jam baptismo illo, quem Christus in Jordane recepit, proprie institutum esse existiment; sed hoc difficile probatu est. Nam — quod pluribus dicere vix opus est — neque loco illi evangelico, ubi baptismus per Johannem Christo collatus narratur, quidquam inesse inveneris, quod vel propriae institutionis notam prae se ferat vel saltem nullo modo ad baptismum christianum a Domino pro fidelibus Novi Testamenti conditum referri possit, neque verbis patrum nisi haec subjecta notio est: baptismo Christi aquam praevis consecratam usuique sacramentali destinatum esse, vel ut propius accedam ad voluntatem Cyrilli, ex Christi corporis divini, quo undae Jordanis dignatae sint, tactu sanctitatem quandam et dignitatem in elementum aquae redundasse et per hoc in hominem ipsum tempore baptismi cum peculiaribus hujus sacramenti gratiis transferri. Unde in baptismo „aquis fruimur Christiferis, fragrantiam spirantibus“ (*ἴδασαι Χριστοφόρους, ἔχουσαν εὐωδίαν*, procat. 17).

3. Hoc igitur elementum tum per se praeclarum tum baptismi Christi et benedictione ecclesiae ad usum sacramentalem inauguratum consecratumque, si cum verbo sive forma baptismi conjungitur et in unum convenit, Dominus ac Redemptor noster, quamvis pro divina sua potestate via plane invisibili et interiori mentem illustrare, voluntatem corroborare et movere, animam a peccatis purgare virtutibusque divinis exornare possit, tamen sapientissimo consilio visibile externumque signum et instrumentum esse voluit, quo baptismi gratia supernaturalis hominibus conferatur, ita quidem, ut „si quis baptismum non recipiat, is salutem non habeat (cat. 3, 10), tibi vero qui nunc credis, per aquam salus“ obveniat (cat. 13, 20). Quod autem sapientiae divinae placuit gratiam invisibilem visibili signo annectere, hoc naturae humanae maxime congruum videtur. „Quum enim duplex sit homo, ex anima et corpore compositus, duplex quoque gratia datur: incorporea quidem parti incorporeae, corporea vero corpori. Et aqua quidem corpus mundat, Spiritus vero animam obsignat, ut aspersi cor et abluti corpus aqua munda accedamus ad Deum. Qui itaque in aquam descensus es, ne ad simplicitatem aquae attende, sed ad gratiam spiritualem una cum aqua exhibitam (cat. 3, 3), et Spiritus sancti efficacia salutem accipe; nam sine utroque perfectus esse non potes . . . Cornelius erat vir justus, angelorum visione dignus habitus, qui preces suas et eleemosynas in coelis apud Deum columnae instar excelsae constituerat: Venit Petrus et Spiritus sanctus effusus est super credentes aliisque linguis locuti sunt et prophetaverunt. Attamen post hanc Spiritus gratiam scriptura dicit: Jussit eos Petrus in nomine Jesu Christi baptizari (act. 10, 48), ut, quum anima per fidem jam foret regenerata, corpus quoque per aquam gratiae particeps fieret“ (cat. 3, 4). Si quis vero miretur, quod Cyrillus ipsum corpus expiatione et gratia baptismali indigere docet, is primum illud cogitet, etiam corpus humanum, quamvis „per se ipsum non peccat, sed anima per corpus“, tamen quum „animae instrumentum sit et velut vestimentum atque amictus, peccato ipsum inquinari“ (cat. 4, 23). „Unde maculae peccatorum in corpore quoque manent. Ut enim postquam plaga in corpore grassata est, etiamsi medela quaedam adhibeatur, cicatrix tamen manet, sic etiam peccatum et corpus et animam affligit, et cicatricum notae

¹⁴⁾ Cf. Ignat. ep. ad Ephes. 18. Ambros. expos. evang. sec. Luc. II, 83. Hieronym. adv. Lucif. c. 3. p. 423. De Tertulliano v. Oswald, l. c. p. 169.

in utroque manent, abolentur vero tantummodo ab iis, qui lavacrum accipiunt. Praeterita igitur animae et corporis vulnera Deus per baptismum sanat“ (cat. 18, 20). Potissimum autem eum commonefacere juvat dogmatis illius a primaeva ecclesia per omnia tempora traditi assiduoque praesertim exorcismorum usu probati, per peccatum totum mundum sub imperium ditionemque satanae cecidisse et diabolium in omnem creaturam nondum redemptam ac proinde in ipsum hominem tum animam tum corpus magnam vim exercere (cf. cat. 19, 4 sqq.). „Stabulantur in membris hominis (nondum baptizati) adversariae potestates“ (cat. 20, 2), tantamque nonnunquam „impurus daemon“ in hominem habet dominationem, ut „in animam ejus irrumpat tamquam lupus in ovem, sanguinem vorans, ad devorandum paratus, et injusto impetu alienam possessionem invadens alieno corpore et alieno instrumento tamquam proprio vi facta abuti conetur, mentem caligine obscuret, stantem dejiciat, linguam invertat, labia contorqueat, sermonum loco spumam exprimat etc.“ (cat. 16, 15). Ad subvertendum quod diabolus etiam in catechumenos tenebat imperium in ecclesia Hierosolymitana frequentes per totum tempus quadragesimale adhibebantur „divini illi et ex scripturis divinis collecti exorcismi“ (procat. 9), quos ut studiose pieque suscipiant, auditores suos Cyrillus etiam atque etiam adhortatur. „Exorcismos cum affectu suscipē¹⁵⁾; sive insufflatus sive exorcizatus fueris (κἀν ἐμφορηθῆς κἀν ἐπορκισθῆς), saluti tibi haec res est ... Aurum absque igne non potest ab alienis sibi immixtis rebus expurgari: in eundem modum absque exorcismis non potest anima mundari ... Quemadmodum artis aurificae periti subtilibus quibusdam instrumentis spiritum igni immittentes atque aurum in vase fusorio reconditum conflantes dum apositam flammam incitant, quaesito (sc. auro) potiuntur: ita etiam dum ii, qui exorcizant, per spiritum divinum timorem injiciunt atque animam velut in vase confatorio in corpore positam exsuscitant, fugit inimicus daemon, manet autem salus et permanet spes vitae aeternae; denique anima repurgata a peccatis salutem consequitur“ (procat. 9. cf. ibid. 13 sq.). Ne tamen exorcismis jam ante ipsum baptismum daemone penitus expelli animamque a peccatis liberari existimes, sed „audax ille impudensque malorum princeps daemon te ad salutare usque fontes (sc. baptismi) insequitur, in salutari autem aqua deletur“ (cat. 19, 3), neque prius, quam „in aquam descendisti ferens peccata“ et „in peccatis mortuus, ascendis vivificatus in justitia“ (cat. 3, 12). Praeter exorcismos Cyrillus etiam alias exercitationes pias sacrasque caeremonias laudat et commendat, quibus catechumeni diaboli et peccati servile jugum exuant: fidem sinceram, „unicum armorum genus et scutum, quo contra diabolium protegemur (cat. 5, 4) et salutem comparamus“ (cat. 5, 9 sqq. cat. 7, 14—15); mutationem morum et poenitentiam (procat. 4), „robustissimum salutis telum“ (cat. 2, 15); confessionem peccatorum (cat. 2, 15. 19. 20), per quam veterem hominem exuimus et novum induimus (cat. 1, 2); jejunium, cujus integrum (quadragesima

¹⁵⁾ Cat. 1, 5: „In exorcismis studiose verseris“. Continebant autem exorcismi: execrationem diaboli, qua energumenos exorcizans virtute Spiritus s. daemone domat et expellit (cat. 16, 19); orationem, preces, invocationem nominis divini (l. c.); invocationem Crucifixi et signum crucis (cat. 4, 13. cat. 13, 3. 18); insufflationem, qua quidem optime vis et efficacia Spiritus s. significatur (procat. 9. cat. 16, 19. cat. 20, 3). — Qualis esse deberet catechumenorum in exorcismis habitus, Cyrillus ita describit: „Velo obductus fuit vultus tuus, ut in reliquum vacaret cogitatio neve oculus vagans ipsum quoque cor ut vagaretur efficeret. Verumtamen velatis oculis nequaquam impediuntur aures, quominus, quae ad salutem juvant, percipiant“ (procat. 9). „Quando ingressi fueritis ante horam exorcismorum, unusquisque vestrum loquatur, quae sunt pietatis; et si quis ex vobis non aderit, perquirite. Negotia inutilia ne deinceps percontare; ne quid fecerit urbs, quid vicus; ne quid fecerit imperator, quid episcopus, quid presbyter. Sursum respice. Quousque alii, qui exorcizantur, accesserint, viri cum viris, mulieres cum mulieribus sunt. Quamvis clausa sit ecclesia et vos omnes intus, haec tamen separata sunt... ne salutis subsidium vertatur in occasionem interitus... Tum vero assidentes viri librum aliquem utilem in manibus habeant et alius quidem legat, alius vero audiat. Si autem desit liber, alius oret, alius boni aliquid loquatur. Virginum porro conventus ita collectus esto, ut psallat vel legat, sed tacite, ita ut labia quidem loquantur, vocem autem alienae aures non audiant... Et nupta quoque similiter agat... ut sterilis anima tua pariat exaudientes Dei salutem“ (procat. 14). Cetera ad exorcismos pertinentia dilucide exponit Mayer l. c. p. 80 sqq.

dierum) cursum ut catechumeni bene perficiant, precatur atque optat (cat. 3, 7. 16); orationes frequentes et continuas (procat. 16); abrenuntiationes, „quibus vetera cum inferno pacta dissolvuntur et paradisi nobis aperitur“ (cat. 19, 9); oleum exorcizatum, quo corpora ante immersionem „a summis verticibus capillis usque ad infima“ inungi solebant (cat. 20, 3); Spiritus sancti post baptismum (sc. sacro chrismate) nobis collati gratiam (cat. 17, 15). Sed ut haec donatam nobis in baptismo remissionem peccatorum et gratiam sanctificantem perficit atque auget, ita exorcismi, poenitentia, jejunium, cetera, pro sua quodque parte ad eam nos disponunt. „Auferte omnia impedimenta et offencula, ut ad vitam aeternam recta via pergatis. Pura per sinceram fidem animae vasa praeparate ad susceptionem Spiritus sancti. Incipite vestimenta vestra per poenitentiam abluere, ut ad sponsi thalamum vocati mundi reperiamini. Sponsus enim omnes simpliciter vocat, quoniam liberalis est gratia; ipse vero deinceps discernit ad nuptias typicas ingressos . . . Contingat, ut inveniatur omnium vestrum anima non habens maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi; non dico, antequam gratiam acceperitis — quomodo enim, qui ad remissionem peccatorum vocati demum estis? — sed ut, quum gratiam acceperitis, conscientia nihil habens, quod reprehendi possit, gratiae concurrat“ (cat. 3, 2).

4. Sed quum baptismus sacramentum sive „lavacrum regenerationis“ sit (cat. 1, 2. cat. 19, 10), manifestum est, praeter remissionem peccatorum, quorum quidem nullum tam grave inveniri potest, ut baptismo non expiatur (cat. 3, 15), etiam ceteras, quas regeneratio continet, gratias baptismo homini tribui. Quae quales sint, jam nomen regenerationis satis aperte significat. Quemadmodum enim infans editus origine naturali societati quidem humanae inseritur, sed maculam labemque, quam natura humana ex peccato accepit, inde contrahit, ita quum „ad gratiam Dei, quae in lavacri regeneratione a Christo datur, accesseris . . . iterata animae spirituali nativitate . . . sancto et rationabili Christi gregi accenseris et deposita peccatorum servitute pessima ac felicissimum Domini servitium consecutus regni coelestis haereditate potiunda dignus efficeris“ (cat. 1, 2). „In intelligibilem deinceps paradisi¹⁶⁾ insereris nomenque novum accipis, quod prius non habebas. Antea catechumenus eras, nunc fidelis vocaberis. Transplantaris deinceps in intellectuales oleas, ex oleastro in frugiferum oleum insertus, ex peccatis in justitiam, ex sordibus in puritatem; particeps efficeris sanctae illius vitae etc.“ (cat. 1, 4). Notandum quidem est, a Cyrillo jam summum ordinem catechumenorum, i. e. illuminandos, quum symbolum fidei jam sinceris animis amplecterentur (cat. 5, 12 sqq. cat. 18, 21) proximeque abessent a sacramentis recipiendis, etiam ante baptismum „fideles“ sive „ab ordine catechumenorum in ordinem fidelium relatos“ (procat. 1. 4. 6. 12. cat. 5, 4. 12 sqq. cat. 18, 35) et „Dei (cat. 11, 9) uniusque matris filios (procat. 13) in ecclesia sancta catholica regeneratos (cat. 18, 26) appellari. Sed rationem hujus appellationis catecheta ipse optime nobis probat. Catechumeni enim „vocatione quidem Novi Testamenti discipuli et mysteriorum Christi participes“ sunt, „gratia vero postea“ fiunt (sc. sacramentis susceptis) (cat. 1, 1). „Christiani vocamini“ — verba sunt ad auditores jam baptizatos dicentis — „hoc sacro chrismate digni habiti, veritatem quoque hujus nominis per regenerationem assecuti. Prius enim, quam haec gratia (sc. regenerationis et sacri chrismatis) vobis collata esset, eo nomine proprie digni non eratis, sed eo contendebatis, ut essetis christiani“ (cat. 21, 5). Quare pro catechumenis nondum initiatis vota facit, ut Deus „in ecclesiam eos inserat et milites sibi alleget, arma justitiae circumponens, et coelestibus Novi Testamenti rebus repleat“ (proc. 17. cat. 4, 37).

Ut locis modo laudatis (cat. 1, 2—4), ita Cyrillus etiam alibi regenerationi baptismali

¹⁶⁾ Paradisi aperiri ait baptizando, quum post abrenuntiationes, veteribus cum inferno pactis dissolutis, ab occidente ad orientem conversus foedus cum Christo ineat (cat. 19, 9); eum verae oleae inseri, quum oleo exorcizato ante baptismum ungetur (cat. 20, 3); Christo autem quasi vineae nos inseri, quum baptismo ipso ejus mortis et sepulturae (qua vitis vera in terra plantata est, cat. 14, 11) participes efficiamur (cat. 19, 7).

duplicem vim attribuit, alteram quam dicunt negativam sive privativam, positivam alteram: prior expiat, posterior sanctificat; per illam omnia peccata, „quae baptismum praecesserunt, delentur“ (cat. 15, 23), per hanc „adoptionem divinam (*ἰοθεσίαν*) consequeris“ (cat. 3, 14) et „filius Dei efficeris atque haeres quidem Dei, cohaeres autem Christi“ (cat. 3, 15) et „a Spiritu sancto sigillum adeptus“, quod te daemonibus terribilem, angelis carum et cognatum, Deo bene notum facit (cf. cat. 1, 2—3. cat. 17, 35), „aeternae vitae haeres redderis“ (cat. 4, 32). Neque tamen altera ab altera divelli distrahique potest nec prius agit altera, sed utraque ad naturam unius ejusdemque gratiae baptismalis (justificantis) pertinet, cujus id ipsum proprium est, ut simul utrumque efficiat: ut sanctificans expiet et expians sanctificet. De potestate Spiritus sancti, qui, „quum completerentur dies Pentecostes, descendit, ut virtute indueret et baptizaret apostolos“, catecheta verba faciens: „Facta est“, inquit, „domus illa intellectualis undae receptaculum. Discipuli intus sedebant, et tota domus impleta est. Baptizati sunt igitur et mersi absque ullo defectu secundum promissionem, induti sunt in anima et corpore divinum et salutare indumentum. Ignem acceperunt non urentem, sed salutarem, qui peccatorum spinas absumeret et animam splendidam redderet. Hic ad vos quoque nunc veniet et peccata vestra spinarum instar eximens et evellens pretiosum animae vestrae fundum splendidiorem reddet et gratiam vobis dabit“ (cat. 17, 14—15). Quod idem in pulcherrima sacrae liturgiae expositione ad illustrandum praefationis initium repetens: „Vere“, inquit, „gratias agere debemus, quod, quum indigni essemus, ad tantam nos vocavit gratiam, quod, inimici quum essemus, nos reconciliavit et spiritu adoptionis dignatus est“ (cat. 23, 5). Illustrissimus autem locus est cat. 3, 12, quem supra jam ipsius auctoris verbis declaravimus. Si quis enim „peccatis mortuus“ in fontem baptismalem descendit et „in undis quodammodo sepultus“ fuit, „vivificatus vero in justitia ascendit et in novitate vitae ambulans resuscitatur“, is baptismi duplicem fructum percepit, „eodem momento et mortuus et natus eademque unda salutari quum sepulero usus tum matre“. Sed quid opus est verbis, quum quidem Cyrillus ipse gratiae baptismalis vim et naturam tam praeclare describat, ut nihil fere desideres. Audi laudem baptismi: „Magnum sane baptisma propositum: captivis redemptionis pretium, peccatorum remissio, mors peccati, animae regeneratio, indumentum lucidum, sigillum sanctum et indelebile, vehiculum ad coelum, deliciae paradisi, regni (sc. Dei) pignus, adoptionis filiorum donum“ (procat. 16).

5. Difficiliores autem res habebit explicatus, si, quae ratio inter baptismum christianum et johanneum ex Cyrilli sententia intercedat, accuratius perpendimus.

Et primum quidem non solius Cyrilli doctrina est, remissionem peccatorum poenarumque aeternarum etiam Johannis baptisate collatam esse, christianum vero ei hoc praestare, quod praeterea nos adoptionis divinae gratia sive dono Spiritus sancti augeat et corpori Christi mystico inserens tum passionum tum gloriosae resurrectionis Domini participes efficiat. „Nemo ergo existimet, baptisma in remissionis peccatorum et in adoptionis gratia consistere, sicut erat Johannis baptisma, quod solam peccatorum remissionem conferebat. Non enim ignoramus, illud, sicut ad expurganda peccata valet et Spiritus sancti donum conciliat, ita et Christi passionum antitypum atque expressionem esse. Propter hoc enim et Paulus modo (sc. in lectione, quae catechesim hanc praecessit) clamans dicebat: „An ignoratis, quod quicumque baptizati sumus in Christum Jesum, in mortem ejus baptizati sumus? Consepulti ergo ei sumus per baptismum in mortem“. Haec ad eos dixit, qui in animum suum induxerant, remissionem quidem peccatorum et adoptionem baptismo conferri, neque vero etiam verarum Christi passionum consortionem secundum imitationem quandam in eodem contineri“ (cat. 20, 6). Neque „Spiritus sanctum Johannes per baptismum suum contulit, sed eum, qui Spiritum sanctum conferret, annuntiavit“ (cat. 17, 8). — Cyrillo igitur iudice baptismus johannes tantum abest, ut ea, qua christianus, vi ac potestate valeat, ut, quanto Johannes, „Domini per baptismum praecursor“ (cat. 17, 7), Christo fuit inferior, tanto inter se eorundem baptismi differant. „Quid amplius de homine verba faciam? Magnus

Johannes, sed quid ad Dominum? Altisona quidem vox, sed quid ad Verbum? Praeclarissimus est praeco, sed quid ad regem? Optimus in aqua baptizans, sed quid ad baptizantem in Spiritu sancto et igne? Spiritu sancto et igne apostolos baptizavit Salvator, quando factus est repente de coelo sonus etc.“ (cat. 3, 9). Nihilominus a Cyrillo, ut supra jam exposui, vim remittendi peccata vel johanneus baptismus habuisse dicitur, neque parvus numerus patrum est, qui ei assentiuntur.

Sed quamquam quod ille dixit, baptismum johanneum peccata delevisse, ab aliis patribus non negatum est, tamen legentem hac de re ab eis dicta neminem facile existimo praeterire, eos sacrae scripturae vestigiis (Matth. 3, 3. 11. Marc. 1, 3. 8. Luc. 3, 3. 16. Joh. 1, 23. 33. Act. 19, 2. 4) proxime insistentes illam quam dixi virtutem non ex baptismo johanneo ut proprio sacramento, sed ex fide et poenitentia baptizati, vel ut aiunt theologi, non ex opere operato, sed opere operantis repetere, eam vero, quam ex opere operato esse intelligimus, remissionem peccatorum una cum gratia adoptionis vel communicatione Spiritus sancti christiano tantum baptismo attribuere¹⁷⁾. Idem fere theologi hodie sentiunt, neque dubito, quin eorum partis et lector sit. At quis Cyrillo aderit, qui discrimine illo neglecto plenam, ut videtur, eandemque solam remissionem peccatorum jam baptismo johanneo et adoptionem divinam aliasque majores gratias christiano demum baptismo ascribit? Atque Touttaeus quidem, quum soleret illa aetate simul et sacrum chrisma cum baptismo dari, rei se hanc lucem afferre posse putat, ut dicat, quod Cyrillus de adoptione ad remissionem peccatorum baptismo christiano addita doceat, id non de adoptione ipsa et propria, quae quidem remissione peccatorum contineatur, sed de „solemni ejus declaratione et obsignatione per sacrum chrisma facta“ ab eo intellectum esse, hunc ad illos quos attulimus sacrae scripturae locos respexisse existimans, quibus praecipua baptismi christiani excellentia in eo potissimum posita sit, quod donum Spiritus sancti, apostolis quidem, ut ipse dicat (cat. 3, 9), die Pentecostes datum, nobiscum vero post baptismum per manuum impositionem communicatum, complexu suo contineat¹⁸⁾. Quin etiam hoc Touttaeus probare conatur, Cyrillum adoptionem ipsam non sacramento baptismi, sed sacro chrismati propriam attribuere. Id enim ex eo effici cogique posse, quod exscripto a nobis ex cat. 20, 6 loco — circa quem disceptatio omnis vertitur — gratiam adoptionis et donum Spiritus sancti „pro una eademque re habere videatur“ ac proinde baptismo johanneo, quum donum Spiritus sancti ei detrahat, una et gratiam adoptionis collatam esse neget; donum autem Spiritus sancti nihil aliud esse nisi gratiam confirmationis. Addendum eodem esse, quod per donum Spiritus sancti formam Christi dicat nobis imprimi, unde „Christi consortes et participes effecti, christi (χριστοί, uncti) merito appellemur“ (cat. 21, 1. 2); et quemadmodum Christus post baptismum, quum descenderit Spiritus sanctus, voce paterna de coelo audita declaratus sit Dei Filius, „ita descendente super nos post baptismum Spiritu sancto de unoquoque auditum iri vocem illam paternam: Hic nunc factus est filius meus“ (cat. 3, 14. cat. 11, 19)¹⁹⁾. — Huic Touttaei iudicio concedere debemus istud inesse verum, Cyrillum cum permultis ecclesiae patribus confirmationem, quippe quae baptismum compleat et perficiat illaque aetate una cum baptismo catechumenis collata sit, sacramento baptismi nonnunquam comprehendere et baptismi notioni subicere, quidquid eum comitaretur et consequeretur. Neque negaverim, quae affert a Cyrillo dicta, ea de solemni adoptionis divinae jam per baptismum (christianum) datae declaratione et confirmatione re vera intelligi posse. Sed quod ex iis comprobatur, a Cyrillo adoptionem ipsam et propriam non sacramento baptismi, sed sacri chrismatis adjudicari, hoc is ipse haud ita certum atque firmum habere videtur, ut refelli non possit. Primum enim non nescit, communicationem Spiritus sancti et gratiam adoptionis

¹⁷⁾ Cf. Schwane, Dogmengeschichte, II, 947 sqq.

¹⁸⁾ Cf. Prolegomena diss. III. CXCVI.

¹⁹⁾ L. c. CXCH et CXCIV.

(sive gratiam sanctificantem), quamvis cogitatione a remissione peccatorum distinguas, atque si alius esset rerum ordo a Deo constitutus, re vera haec ab illis separata esse posset, tamen quae nunc salutis via ac ratio est, cum hac tam arte conjunctas esse, ut nemo liberetur a peccatis, quin gratia adoptionis augeatur, nec quisquam justificetur, quin simul sanctificetur. Id quod etiam Cyrillo cognitum et perspectum esse, jam persuasum habet, quicumque in memoria retinet, quae supra de duplici gratiae baptismalis vi et effectu diximus. Nec dubitari posse censeo, quin Cyrillus cat. 20, 6, ubi baptismum christianum Johannis baptismo componit vel potius opponit, donum Spiritus sancti et gratiam adoptionis non minus ex baptismo ipso repetat, quam remissionem peccatorum et communicationem passionum Christi. Quae si non baptismi, sed sacri chrismatis propria essent, baptismus christianus nisi addita confirmatione baptismum johanneum iis non praestaret, et quae inter ipsos baptismos a Cyrillo statuitur differentia christianique praestantia, ea magna ex parte nihili esset. Nobis autem minime licet opinor, gratias quas Cyrillus pariter omnes in unius ejusdemque baptismi effectibus numerat, alias (sc. remissionem peccatorum et communicationem passionum Christi) ad ipsum baptismum, alias (sc. adoptionem et donum Spiritus sancti) ad sacrum chrisma referre, de quo sequente demum catechesi ut proprio sacramento disputat. Denique quod Touttaeus dixit, gratiam adoptionis de baptismo ad confirmationem transferendam esse, quum Cyrillus adoptionem juxta aestimet atque donum Spiritus sancti formam Christi nobis imprimens, hoc certe leve est. Nam a Spiritu sancto, cujus vel id proprium est, ut „rerum omnium sanctificator“ sit (cat. 16, 3. cat. 17, 2), omnes gratiae proficiscuntur neque solum confirmationis, verum etiam baptismi dona sunt Spiritus sancti. Alibi catecheta, dono Spiritus sancti omisso, baptismum vocat „ingenuam adoptionis filiorum regenerationem“ (cat. 1, 2) et de sacro chrismate dicturus, ex quo in Christum baptizati simus, nos eum induisse et „similem cum Filio Dei formam comparasse“ docet (cat. 21, 1)²⁰. Quum ita res se habeat, facile adducor, ut adoptionem divinam, christiani tantum baptismi propriam, cum Schwaneo²¹) credam a Cyrillo intellectam esse singularem quandam et intimam, quam homo regeneratus cum natura, dignitate, corpore ipsius Filii Dei incarnati habeat, societatem et communionem, ita quidem, ut eum Christo conjunctissime vivens, quemadmodum in baptismo, imagine mortis et sepulturae Domini, passionum ejus merita et fructus percepit, sic gloriosae quoque resurrectionis et beatitudinis coelestis statim a morte cum ipso communicandae jus ac spem adipiscatur. „Qui enim praedestinavit nos Deus in adoptionem, conformes effecit corpori glorioso Christi (προορίσας ἡμᾶς εἰς υἰοθεσίαν ὁ θεός, συμμόρφους ἐποίησε τοῦ σώματος τῆς δόξης τοῦ Χριστοῦ)“ (cat. 21, 1. cf. Ephes. 1, 5. Phil. 3, 21). „O rem novam atque mirabilem! Non sumus re vera mortui neque re vera sepulti, neque re vera in crucem acti resurreximus, verum earum rerum per imaginem imitatio expressa est, et in veritate hinc salus parta est (ἐν εἰκόνι ἢ μίμησις, ἐν ἀληθείᾳ δὲ ἡ σωτηρία). Christus vere crucifixus est et vere sepultus et vere resurrexit, et haec omnia per gratiam nobis impertita sunt, ut per imitationem participes passionum ejus effecti in veritate salutem lucrermur. O exuberantem in homines amorem! Christus purissimis manibus ac pedibus suis clavos excepit et dolorem pertulit, et mihi doloris laborisque experti per suorum dolorum communicationem salutem largitur“ (cat. 20, 5). „Ut igitur disceremus, Christum, quaecumque perpessus est, haec propter nos et propter nostram salutem re vera sustinuisse, nosque passionum ejus participes fieri, Paulus summa diligentia clamabat (Rom. 6, 5): Si enim complantati facti sumus similitudine mortis ejus, simul et resurrectionis

²⁰) Cf. cat. 19, 10: „In sancto regenerationis lavacro Deus abstulit omnem lacrimam ab omni facie. Non enim lugebis amplius exuto veteri homine, sed festum potius diem ages, vestimentum salutis indutus Jesum Christum“.

²¹) L. c. p. 948: „Man wird nicht fehlgreifen, wenn man unter der Sohnschaft Gottes, welche dem Menschen erst durch die christl. Taufe zu Theil werden soll, bei Cyrill wenigstens, eine besondere Theilnahme an der Sohnschaft des menschengewordenen Logos und daher auch das Anrecht auf die himmlische Vereinigung mit ihm gleich nach dem Tode versteht“.

erimus. Praeclare vero illud „complantati“; quoniam enim hic (sc. loco sepulcri, ubi dicebat Cyrillus) plantata est vitis vera, nos quoque communicatione baptismi mortis complantati illi facti sumus. Adverte vero multa cum attentione animum ad apostoli verba; non enim dixit: si complantati illi facti sumus morte, sed similitudine mortis. Vere enim mors apud Christum, vere enim anima ejus a corpore divisa fuit, et vera sepultura, vereque omnia in ipso acciderunt. At in nobis mortis quidem et passionum similitudo est, salutis vero non similitudo, sed veritas“ (cat. 20, 7). — Quibus omnibus donis baptisma johanneum caruit, nihil in iis, quibus conferebatur, efficiens, nisi ut a peccatis purgarentur. Sed vel ipsam peccatorum remissionem, quam quidem etiam Johannis baptismus effecisse dicitur, haud ita plenam et uberem Cyrillus habere videtur. Nam solius Christi baptismi proprium esse dicit, ut omnes peccatorum maculas, notas, cicatrices animae et corpori illatas abstergat atque auferat (cat. 18, 20), omnem delictorum memoriam e codice Dei deleat (cat. 15, 23. cf. cat. 3, 15), nihil in homine regenerato et in formam Christi mutato veteris hominis relinquat (cat. 3, 12. cat. 20, 2), sed idoneum eum reddat „ad paratam sibi vitam haereditate consequendam“ (cat. 1, 2). Pleniorem hanc purgationem ex virtute Spiritus sancti repetit (cat. 17, 15); quam quum a baptismo Johannis abjudicet, una et illud comprobat, baptismo johanneo nudam et solam peccatorum veniam impetratam esse, quacum maculae ejusdam post remissa peccata residuae et poenae quomodocunque luendae depulsio nondum conjuncta fuerit. Ceterum dubitaverim, num Cyrillus baptismum johanneum re vera tantum valuisse existimet, ut remissionem peccatorum in modum veri sacramenti (christiani) ipse ex sese effecerit. De recipientibus eum disputans: „Primum“, inquit, „vulnera ostendebant, deinde ille (sc. Johannes) medicamenta apponebat et redemptionem ab igne aeterno credentibus conferebat“ (cat. 3, 7). Quodsi ad baptismum johanneum, ut illam vim haberet, medicamenta accedere oportuit, baptismus per se ipse redemptionem non attulisse videtur; atque hinc est id, quod res me monet, ut fidem, qua baptizandis ad salutem consequendam opus fuit, talem fuisse censeam, qua crederent et sperarent, fore ut per Christum, Salvatorem venturum, vulnera, quae poenitentes ostenderent, penitus sanarentur. Quamquam vel cum iis ipsis, qui „contendunt, etiam in baptismo Johannis dimissa esse peccata, sed aliquam ampliorem sanctificationem eis, quos Paulus jussit denuo baptizari, per baptismum Christi fuisse collatam, non agit pugnaciter“ Augustinus (de bapt. cont. Donat. V. 10, 12)²²⁾.

6. Quum baptismus johanneus Spiritum sanctum non conferret, caruit etiam sigillo sive caractere sacramentali, qui baptismo christiano animae imprimitur. Nam Spiritus sancti est, baptizandorum „animas obsignare (σφραγίζειν)“ (cat. 3, 3. cat. 4, 16. cat. 16, 24. cat. 17, 35) et „coeleste divinumque sigillum (σφραγίδα) iis tribuere, quod daemones contremiscunt et agnoscunt angeli, ita ut illi fugiant abacti, hi vero ut cognatum et familiare amplectantur“ (cat. 1. 3. cat. 17, 35). Quare catecheta in baptismi christiani effectibus *ἀγίαν σφραγίδα* refert (procat. 16) eamque propria appellatione „indelebilem in saecula (*ἀνεξάλειπτον εἰς τοὺς αἰῶνας*)“ sive „indissolubilem (*ἀκατάλυτον*)“ notat (procat. 17). Alibi baptismum ipsum „sigillum mysticum“ vocat, quod efficiat, „ut a Domino bene agnoscamur“ (cat. 1, 2), et characterem baptismalem sigillo militari comparat, quod Christus iis imprimat, quos in baptismo milites sibi conscripserit (cat. 1, 3. cat. 3, 3. cat. 17, 26)²³⁾. Hanc de caractere sacramentali doctrinam duxisse videtur ex loco illo s. Pauli apostoli (Ephes. 1, 13): „In

²²⁾ Eadem lenitate, qua Augustinus, usa est synodus Tridentina sess. VII. can. 1 de baptismo: „Si quis dixerit, baptismum Johannis eandem vim cum baptismo Christi habuisse, anathema sit“.

²³⁾ Frequens est in libris patrum illa comparatio. Cf. Augustin. l. c. 1. 1. Chrysost. in II. Cor. hom. 3. p. 338: „Sicut militibus sigillum, ita fidelibus Spiritus sanctus imponitur; quo fit, ut conspicuus omnibus fias, etiamsi ordinem deserueris“. — Quum character sacramentalis deleri non possit, mirum fortasse videtur, quod Cyrillus nos eo Deo bene notos, angelis caros, daemonibus terribiles esse dicit. Sed illud haud dubie respicit, quod contingit, quamdiu sigillum „immaculatum nullique reprehensioni obnoxium in nobis custodimus“, id quod de sacri chrismatis sigillo docet cat. 21, 7.

quo credentes obsignati estis Spiritu promissionis sancto“, quem quidem affert, ut probet, baptizatorum animas sigillo Spiritus sancti notari (cat. 17, 35).

Quum catechumeni simul et sacrum chrisma cum baptismo reciperent, Cyrillus in orationibus catecheticis etiam characteres eorum nonnunquam complecti videtur. Certe ex plurimis illis locis, quibus Spiritus sanctus dicitur „obsignare animas“, difficile cognitu est, baptismine characterem intelligat, an sacri chrismatis an utriusque. Errant vero, qui hinc concludere velint, a Cyrillo alterum characterem cum altero permisceri et confundi. Quamvis enim mentionem eorum interdum ita faciat, ut non facile appareat, utrum tandem commemoret, propriis tamen utrumque notis designat. Sacri chrismatis characterem sigillum communicationis Spiritus sancti (*σφραγίδα τῆς κοινωνίας τοῦ ἁγίου Πνεύματος*) appellat (cat. 18, 33), baptismalem autem, quo „in lavacri regeneratione sancto Christi gregi accenseamur“ (cat. 1, 2); illum dicit imprimi, quum „Deus caput oleo ungat in fronte“ (cat. 22, 7), hunc „sigillum per aquam (*τὴν δὲ ὕδατος σφραγίδα*)“ vocat (cat. 3, 4). Priorem post baptismum conferri indicat (cat. 18, 33), posteriorem „baptismatis tempore“ (cat. 4, 16) sive „in baptismo“ (cat. 16, 24), ita quidem, ut uno tempore corpus aqua abluatur, anima autem Spiritu signetur (cat. 3, 4), eodemque tempore, quo baptizandus in aquam descendat, anima gratiae invocatione notetur, ne a dracone, cujus in aqua sedes sit, hauriatur (cat. 3, 12). Denique baptismo vel a (presbyteris et) diaconis dato animas obsignari docet (cat. 17, 35); nemo autem contenderit, sacri chrismatis sacramentum a diaconis unquam administratum esse —. Haec certe sufficiunt ad distinguendos quos sacramenta baptismi et sacri chrismatis imprimunt characteres, quorum uterque, quum a Spiritu sancto sit, *σφραγὶς πνευματικῆ* sive *σφρ. τοῦ ἁγίου Πνεύματος* appellatur (cat. 1, 3. procat. 17).

7. Ex iis, quae de effectibus baptismi diximus, jam apparet, eum ad salutem omnibus necessarium esse, ita ut omisso eo nemo vitam aeternam consequi possit. Nam fructus illi non colliguntur nisi per baptismum. Qua de re si scrupulus tibi relinqui possit, eum ex animo tuo celebrare illa ipsius Christi verba (Joh. 3, 5) evellere debent: „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum coelorum“ (cat. 3, 4). Quae quum baptismum unam omnibus salutis viam ostendant, recte jam s. Augustinus demonstravit (de peccat. merit. et remiss. l. I. c. 30), iis non solum necessitatem quam dicimus praecepti comprobari, qua quidem adulti sacramento obligantur, sed etiam necessitatem medii, quae ad omnes homines, nullo excepto, pertinet. Quare „quamvis audax videatur haec oratio, non suam, sed Jesu Christi sententiam ferre“ ratus Cyrillus: „Neque“, inquit, „si quis aqua baptizatur, Spiritu vero non sit dignus habitus (addidit enim Christus: ex aqua et Spiritu sancto), gratiam perfectam habet; neque si quis virtutis operibus instructus sit (*καὶ ἐνάρετός τις γένηται τοῖς ἔργοις*), sigillum vero per aquam non recipiat, introibit ille in regnum coelorum“ (cat. 3, 4). Necessitati medii igitur necessitas praecepti consequens et connexa est, qua nemo non astrictus est etiamsi virtute justitiaque excellens. Veluti „Cornelius, quamquam vir justus ac visione angelorum dignus habitus et precibus eleemosynisque Deo acceptus atque post adventum Petri divinitus ad eum missi dono Spiritus sancti, linguarum, prophetiae donatus, baptizari tamen jussus est, ut corpus quoque per aquam gratiae particeps efficeretur“ (l. c.)²⁴. Christus ipse baptismo in Jordane recepto exemplum nobis ad imitandum proposuit, quod si quis non sequitur et baptismum repudiat, is religionem pieta-

²⁴) Similiter Augustinus de bapt. V, 22, 29: „Usque adeo“, inquit, „nemo debet in quolibet propectu interioris hominis, si forte ante baptismum usque ad spiritalem intellectum in corde profecerit, contemnere sacramentum (sc. bapt.), quod ministrorum opere corporaliter adhibetur, sed per hoc Deus hominis consecrationem spiritualiter operatur“. — Ad corporis autem purificationem conferendus est locus hic Irenaei adv. haer. 3, 17: „Corpora enim nostra per lavacrum illam, quae est ad incorruptionem, unitatem acceperunt, animae autem per Spiritum. Unde et utraque necessaria, quum utraque perficiant in vitam Dei miserante Domino“. Irenaeum Cyrillus etiam alibi prae ceteris laudat et ad verbum fere sequitur (cat. 16, 6. cat. 6, 7. cf. Toutt. p. 91. nott. 5 et 6).

temque erga Deum violat et damnum aeternum contrahit. „Si filius Dei baptizatus est, ecquis adhuc baptismum spernens pius censi poterit? (cat. 3, 11). Quibus adhuc peccatorum asperitas inhaeret, illi a sinistris constituentur, eo quod ad gratiam Dei, quae in lavaeri regeneratione per Christum datur, non accesserint“ (cat. 1, 2).

8. Nihilominus jam antiqui patres praeter baptismum aquae, qui quidem legitimum statumque salutis remedium est, si non verbo, certe re etiam baptismum sanguinis et baptismum flaminis agnoscunt, quorum uterque, quando baptismus proprius haberi non possit, hujus vicem praestet²⁵). Illum intelligunt martyrium esse, hunc desiderium baptismi cum (perfecta) caritate et contritione conjunctum. Ac de martyrio quidem omnes consentiunt neque apud Cyrillum dubitandi locus est. „Si quis baptismum non recipit, salutem non habet, solis martyribus exceptis, qui etiam sine aqua regnum accipiunt . . . Nam et martyrium baptismi nomine significare consuevit Salvator dicens (Marc. 10, 38): Potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismum, quo ego baptizor, baptizari?“ (cat. 3, 10). Ad confirmandam hanc sententiam affert, quod ex latere Christi post mortem in cruce transfosso aqua et sanguis, duplicis baptismi symbola, profluxerint et sancti martyres fidem, quam ceteri in baptismo profiteri jubeantur a ministris ecclesiae, citantibus tyrannis profiteantur. „Qui enim orbem per crucem redemit Salvator, latus transfixus aquam et sanguinem effudit, ut alii quidem tempore pacis per aquam baptizarentur, alii vero persecutionum temporibus in proprio sanguine baptizarentur. Ac martyres quidem confitentur (*ὁμολογοῦσιν* sc. fidem), spectaculum facti mundo et angelis et hominibus; tu vero paulo post confiteberis“ (cat. 3, 10)²⁶). — De baptismo flaminis proprie quidem non disserit Cyrillus neque explicat, quale debeat esse sacramenti desiderium (explicitum an implicitum) et qualis poenitentia²⁷). Attamen non alienum ab eo catechetarum animum esse, nonnulli loci haud ambigue indicant. Nam „vitam aeternam obtinere cupientibus nobis divinae scripturae hujus acquisitionis modos subjiciunt; e quibus pauca nunc propter sermonis prolixitatem testimonia proferemus. Aliquando enim (eam obtineri dicunt) per fidem (Joh. 3, 36; 5, 24) . . . aliquando per evangelii praedicationem (Joh. 4, 36) . . . aliquando per martyrium et Christi confessionem (Joh. 12, 25) . . . Iterumque Christum pecuniis et propinquitati generis anteposendo (Matth. 19, 29) . . . et per observationem mandatorum (Matth. 19, 16). Praeterea autem recedendo a malis operibus et Dei servitio se mancipando (Rom. 6, 22). Quum enim Dominus hominum amantissimus sit, non unam nec alteram tantum, sed multas ingressus in vitam aeternam januas aperuit, ut omnes, quantum in eo esset, nullo impediante ea fruerentur“ (cat. 18, 30—31). Atqui fieri potest, ut leges illas divinas diligenter pieque servaverit, qui sine baptismo e vita excedit, peccatorum poenitens et baptismum non solum non sua culpa negligens, sed vehementer desiderans et, quantum in ipso est, recipiens. Adde, quod de pio latrone disserens divinam

²⁵) Cf. Schwane l. c. p. 956 sq.

²⁶) Ad auditores nondum baptizatos catecheta illa verba dixit. Quare fidei confessionem eam intelligit, quam initiandi post abrenuntiationes, foedus cum Christo incuntes, per symboli recitationem faciebant (cat. 19, 9), vel potius eam, quam post unctionem ad sacrum fontem ducti interrogantibus baptismi ministris singuli edebant. „Et interrogatus est unusquisque, num crederet in nomen Patris et Filii et Spiritus s., confessisque estis salutarem confessionem et demersi estis etc.“ (cat. 20, 4). — Quod Cyrillus de aqua et sanguine e latere Christi profluentibus ut duplicis baptismi symbolis docet, id se a patribus recepisse ait cat. 13, 21: „Reddiderunt explanatores patres nostri (*οἱ ἐξηγηταὶ πατέρες ἡμῶν*) etiam aliam hujus rei (sc. aquae et sanguinis) rationem. Quum enim duplex quaedam in evangeliiis salutiferi baptismatis vis sit: altera quidem per aquam iis, qui illuminantur (h. e. baptizantur), concessa, altera vero, quae persecutionum tempore sanctis martyribus per proprium sanguinem datur, exierunt e Salvatoris latere aqua et sanguis, quae confessionis quum in illuminatione (h. e. baptismo) tum in temporibus martyrii pro Christo factae confirmant gratiam“.

²⁷) Constat enim inter theologos, dolorem de peccatis quem dicunt imperfectum (seu attritionem cum Dei amore imperfecto sive amore concupiscentiae conjunctam) absque baptismo fluminis aut sanguinis ad consequendam salutem non sufficere, sed perfectum tantum dolorem (seu contritionem amore Dei perfecto sive amore amicitiae, h. e. caritate, formatam).

gratiam et misericordiam hisce illustrat laudibus: „Quae te, o latro, illuminavit potestas? Quis te docuit, ut contemptum unaque tecum crucifixum adorares? O lucem aeternam, quae in tenebris jacentes illuminat! Ideo et iste audivit: Confide; non quod opera tua fiduciam tibi efficere debeant, sed quia rex adest, qui tibi largitur veniam. Longe remotae rei rogatio erat, sed velocissima est gratia ... Ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia (Rom. 5, 20) ... Qui circa undecimam horam venit, ingressus est. Nemo murmuret adversus patrem familias, quum ille dicat: Amice, non facio tibi injuriam. Nonne potestatem habeo in meis rebus faciendi, quod volo? (Matth. 20, 13. 15). Vult justa opera facere latro, sed mors eum praeoccupat; non solum opus exspecto, sed et fidem recepi“ (cat. 13, 31). Si quis igitur non sua negligentia, sed iniquitate rerum baptismo privatur, is gratia divina imbutus et commotus ardente baptismi desiderio sacramentum ipsum supplere potest; id quod de eo multo magis adducor ut credam, qui non ut latro crucifixus haud multum ante mortem suam se Christo dedit, sed assiduo salutis studio bonorumque operum exercitio probatus fuit.

9. Quoniam sacramentum baptismi vim et virtutem, quam supra descripsimus, a Christo Domino habet, Christus etiam proprius ejus minister est, homine utens vicario. Atque ordinarii quidem hujus sacramenti ministri in veteri ecclesia episcopi fuerunt, vel ut alii patres prodiderunt, episcopi et presbyteri; diaconis, ut baptismum administrarent, episcopus saepe mandavit vel permisit. Quum autem hoc sacramentum ad salutem maxime necessarium sit, quemadmodum Deus materiam delegit communissimam, sic etiam ministerium ejus amplissime patere voluit, ita ut urgente necessitate baptismus a quolibet homine confectus sacramentali valeat potestate. Quae quidem Cyrillus, de gratiis spiritus sancti disputans, omnia paucis his comprehendit: „Tempore baptismi, quum accesseris ad episcopos vel presbyteros vel diaconos — omnibus enim locis datur gratia et in pagis et in urbibus, et per imperitos et per eruditos, et per servos et per liberos, quoniam haec non ex hominibus gratia est, sed a Deo per homines facta donatio — tu quidem ad baptizantem accede, accede vero ad vultum visibilis hominis nequaquam attendens, sed memor esto hujus Spiritus sancti, de quo nunc sermo est. Hic enim paratus adest, qui animam tuam obsignet etc.“ (cat. 17, 35).

Interim de baptismo haereticorum controversiam, quam nemo nescit saeculo tertio a s. Cypriano (et Firmiliano) cum Stephano papa institutam, quum haeretici ac potissimum Novatiani et qui saeculo quarto et quinto exstiterunt Donatistae, quo facilius baptismum ab aliis administratum reprobarent, cupidissime renovarunt, tum ne eae quidem, quas synodus Arelatensis (can. 8) et concilium Nicaenum (can. 19) fecerunt definitiones, sive non satis disertae expressaeque visae sunt sive nondum satis cognitae et evulgatae, tantum valuerunt, ut qui postea fuerunt sancti patres ecclesiae uno consensu in iis acquiescerent. Ut alios silentio praeteream, etiam Cyrillus noster baptismum haereticorum nullum irritumque et ab ecclesia repetendum esse declarat. „Non licet“, inquit, „hoc lavacrum bis vel ter recipere; unus enim Dominus et una fides et unus baptismus; nam haeretici tantummodo rebaptizantur, siquidem prius illud baptisma non erat“ (procat. 7). Vix dubium relinquitur, quin Cyrillus non de iis tantum, qui quum externum signum sacramenti corrumperent, de novo baptizari jussi sunt ab iis, quae dixi, conciliis, sed de omnibus haereticis sententiam suam pronuntiet; neque excusare licet ecclesiae Hierosolymitanae usum, quam concilii Nicaeni decreta neglexisse et rebaptizasse, quos haec synodus sine novo baptismo recipiendos esse statuit, nullo testimonio comprobari potest. Immo potius illud, quod ex Joh. 3, 5 affert, argumentum: „Unus Dominus, una fides, unus baptismus“ indicare videtur, eum cum s. Cypriano conclusisse, sicut extra ecclesiam non verus Domini cultus sit neque vera fides, ita nec esse verum ratumque baptisma. Omnes igitur haereticos, qui ad ecclesiam redeant, novo baptismo initiandos esse. Alibi inter catechumenos, quos ad baptismum praeparet, proprie Manichaeos nominat (cat. 15, 3), qui baptismum habuisse videntur ab ecclesiastico adeo abhorrentem tantaque turpitudine et obscenitate contaminatum, ut ejus ritum ne enarret, pudore se

dicat prohiberi (cat. 6, 33). De baptismo Arianorum, quem s. Athanasius propter impiam eorum de trinitate doctrinam rejicit, s. Hieronymus ut omnibus probatum acceptumque testatur (adv. Lucif. c. 9), Cyrillus nihil profert; Montanistas autem et Pepuzenos Montanum ait pro Spiritu sancto coluisse (cat. 16, 8); unde verisimile efficitur, quod dicit s. Basilius (ep. 188. p. 269), posuisse eos in formula baptismatis loco Spiritus sancti Montanum. De Marcionistis dubium est, num formam baptismi verbis corruerint; certe mente et sententia eam perdiderunt, quippe quum pro una Trinitate tres deos praedicarent et Patrem et Spiritum sanctum, quorum in nomina baptizamur, a creatore mundi et Spiritu, qui prophetas inspiravit, longo intervallo separarent (cat. 16, 1. 4.). Quae quidem baptismatis formae corruptio, quamquam non verbo, tamen prava interpretatione facta, re vera jam inanem atque vanum baptismum reddere multis patribus visa est. Ita sensisse videtur Athanasius, qui nomina quidem trium Divinitatis personarum in baptismo a multis ait haereticis pronuntiari, quum vero recte illi de Trinitate non sentiant, inutilem esse quam donent aquam (cf. or. II. n. 42—43). Similes nobis occurrunt opiniones ss. Basili (ep. I. canonica 1. p. 20), Nazianzeni (or. 40. n. 25. p. 637), Ambrosii (de myst. c. 4. n. 23), aliorum, qui baptisma haereticorum modo aperte defendunt, modo pro nihilo habere videntur. Vides, hac de re quam discrepantes incertaeque sint sanctorum patrum sententiae; id quod usque ad illud tempus persequi licet, ex quo s. Augustinus adversus Donatistas hanc quaestionem accurate expediteque persolvit, unde facile fuit intellectu, qua de causa complures synodi haereticos ad ecclesiam reversuros alios novo baptismo, alios sola manuum impositione recipi jussissent. Ceterum quod ad Cyrillum attinet, illud non tacendum est, quod si non citius, certe a. 381 sententiam suam correxerit, quum in concilio Constantinopolitano cum ceteris synodi patribus non paucos ex haereticis sine altero baptismo recipi decerneret (cf. Conc. Constantinopol. can. 7)²⁸⁾.

²⁸⁾ Baptizari denuo jussi sunt Eunomiani, Montanistae, Sabelliani, „praesertim qui ex Galatia venerunt“ (h. e. Marcelliani et Photiniani).

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Henr. Oswald, P. P. O., h. t. Decanus.

- I. Praemissa introductione doctrinam de deo deque divinis attributis ac de s. trinitate explanabit quinquies vel sexies per hebd. hora X.
- II. Linguae hebraicae grammaticam una cum exercitiis interpretatoriis instituet ter per hebd. horis def.
- III. Poema vetus saxonicum, quod salvatoris (*zôv* Heliand) nomine inscribitur, semel bisve per hebd. explanabit horis assignandis.

Dr. Franc. Hipler, P. P. O.

- I. Theologiam pastoraalem docebit sexies per hebdomadem hora VIII.
- II. De jure matrimoniali disseret diebus Lunae et Jovis hora IX.
- III. Exercitationes homileticas et catecheticas moderabitur horis definiendis.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O.

- I. Historiam ecclesiasticam recentioris temporis enarrabit quinquies per hebd. h. IX.
- II. Repetitiones de historia ecclesiastica instituet semel per hebd. h. IX.
- III. Antiquitates ecclesiasticas tractabit bis per hebd. horis def.
- IV. Historiam artis christianae enarrabit semel per hebd. hora def.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

- I. Isaiae vaticinia interpretabitur ter per hebd. hora VIII.
- II. S. Pauli ad Corinthios utramque epistolam enucleabit ter per hebd. hora VIII.
- III. Antiquitates Hebraeorum dabit bis per hebd. horis def.

Lic. Julius Marquardt.

- I. De principiis theologiae moralis disseret quinquies per hebd. h. XI.
 - II. Repetitiones et disputationes de rebus moralibus instituet horis def.
 - III. Historiam literariam ecclesiae primaevae tradet bis per hebd. horis def.
-

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Jos. Bender, P. P. O., h. t. Decanus.

- I. Historiae recentioris partes praecipuas enarrabit ter per hebd. h. VIII.
- II. Historiam Prussiae imprimis Warmiae tradet bis per hebd. h. VIII.
- III. Primordia et fata linguae Theotiscaae exponet semel per hebd. h. VIII.
- IV. De praecipuis historicis eorumque scriptis disseret semel per hebd. hora def.

Dr. Laur. Feldt, P. P. O.

- I. Physicam experimentalem docebit et Conversatorium de rebus physicis instituet diebus Lunae, Jovis et Saturni h. XI.
- II. Astronomiam popularem cum Astrognosia conjunctam exponet diebus Martis et Veneris h. XI.
- III. Theoriam generalem linearum et superficierum curvarum docebit diebus Lunae et Jovis h. II.

Dr. Frid. Michelis, P. P. O.

Nullas scholas habebit.

Dr. Wilhelmus Weissbrodt, P. P. O.

- I. M. Tullii Ciceronis de legibus libros bis hebdomade hora IX interpretabitur.
- II. Euripidis Iphigeniam Tauricam bis hebdomade hora IX interpretabitur.
- III. Res sacras Romanorum h. d. enarrabit.
- IV. Inscriptiones selectas bis hebdomade hora IX interpretabitur.
- V. Exercitationes philologicas moderabitur h. d.

Dr. Jos. Krause.

- I. Introductionem in studium philosophiae tradet bis per hebd. hora X.
- II. Logicam et noëticam ter per hebd. hora X,
- III. Paedagogicam bis per hebd. horis def. docebit.

PUBLICA DOCTRINAE SUBSIDIA.

Bibliotheca Lycei Regii, cui praest **Prof. Dr. Weiss**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris h. II—III.

Instrumenta, quae ad physicam, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit **Prof. Dr. Feldt**.

B. ORDINES PHILOSOPHORUM.

Certamen literarium et Praemia.

**Renuntiatio judiciorum de certamine literario a commilitonibus Lycei Regii
Hosiani anno superiore inito.**

Ordo theologorum pro certamine literario has quaestiones proposuerat:

- I. Ex instituto Regio: Quis qualisque fuerit angelus ille Domini (mal'ach Jahve), cujus in Pentateuco saepius fit mentio, demonstratur.
- II. Ex stipendio Scheill-Busseano: De pericoparum biblicarum in Ecclesia Occidentali usu et indole. De priore quaestione libellus traditus est ita inscriptus. „O Adonai et dux domus Israel, qui Moysi in igne flammae rubi apparuisti et ei in Sina legem dedisti: veni ad redimendum nos in brachio extenso“.

Commentationis scriptor quum plerosque sacrae scripturae locos qui ad argumentum propositum referuntur sententiasque interpretum notissimorum dilucide atque accurate explanarit diligenterque nec sine dexteritate discussisset, praemio dignus habitus est, quamvis in dijudicanda quaestione ipsa justo plus alienam auctoritatem secutus et sermone latino usus sit saepius perquam impolito nec mendis sat gravibus carente.

Schedula reclusa nomen prodit:

Valentinus Lehmann, stud. theol.

De altera quaestione commentatio exhibita est hisce insignita verbis: „Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo; sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia, quae scripta sunt in eo“. Josua I, 8.

Quam qui conscripsit, fontibus nonnisi secundariis adhibitis, oratione usus est parum expedita neque a gravioribus etiam vitiis passim vacua, rectam vero argumenti tractandi viam ingressus rem propositam satis diligenter et circumspecte ita absolvit, ut ordini non indignus visus sit, cui praemium constitutum concederetur.

Aperta charta innotuit:

Franciscus Ludwig, stud. theol.

Ordo philosophorum eos, qui de praemio regio certaturi essent, Aristotelis et Ciceronis de republica sententias jusserat explanare.

Commentatio Ordini una subjecta est his verbis insignita: „*Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίῃ εἰς κοίρανος ἔστω, εἰς βασιλεύς.*“

Fausto omine potius ut scriptionem inciperet, quam ut sententiam suam statim aperiret, illis verbis commilito videtur usus esse. Nam ad rem, quam sibi proposuerat, nullo modo accommodata sunt, summa vero laude commentatio ipsa digna est. Neque a diligentia quaestionis neque a sermonis elegantia quidquam desideres. Palmari igitur scriptioni palmam Ordo adjudicavit.

Rescissa schedula prodit:

Antonius Kranich, stud. theol.

